

RIORGANIZZAZIONE DEL VESCOVADO DI SAN GALLO.

7 novembre 1845.

Inter Reverendissimum et Excellentissimum Dominum Hieronymum de Andrea, Archiepiscopum Melitenum, ad Confoederationem Helveticam Nuntium Apostolicum, etc. etc. a Sanctitate Sua Summo Pontifice Gregorio P.P. XVI. delegatum, et inter D.D. Jacobum Baumgartner, Consiliarium Gubernii, et Leonardum Gmür, membrum Senatus administrativi Catholicorum Pagi Sangallensis, nomine et mandato supremi Consilii catholici et a Senatu administrativo Catholicorum ejusdem Pagi ad hoc delegatos,

Negotiis in re compositis post sibi mutuo tradita legitima et authentica suae cujusque facultatis instrumenta, mutua tamen approbatione suprema, equidem pro Pago Sangallensi consensu supremi Consilii catholici et sanctione Magni Consilii ejusdem Pagi reservatis, de sequentibus articulis conventum est:

Art. 1. Dioecesis Sangallensis, unione cum Dioecesi Curiensi soluta, in proprium et individuum Episcopatum pro incolis catholicis Pagi Sangallensis intra geographicos ejusdem terminos denuo constituitur.

Art. 2. Episcopus residebit ad Ecclesiam primariam Catholicorum Pagi Sangallensis, quae, servata sua qualitate parochialis Ecclesiae, nomen Ecclesiae cathedralis Sancti Galli obtinebit.

Art. 3. Novum Ecclesiae cathedralis Sangallensis Capitulum quinque constabit Capitularibus residentialibus, unica nempe dignitate Decani, et quatuor Canonicis, atque insuper octo Canonicis foraneis sive ruralibus vel titularibus nuncupandis, ac tribus Presbyteris auxiliariis vel Vicariis.

Art. 4. Animarum parochianorum cura habitualis erit penes Capitulum residens, quam modo huc usque usitato adjutum tribus Coadjutoribus jam existentibus exercebit. Vicarii autem tres praedicti Capitulo ultra adjungentur tam in servitium

Ecclesiae in sacris functionibus peragendis, quam in subsidium exercendae curae animarum.

Art. 5. Canonici residentiales ordinarie Senatum Episcopi constituent, et in rebus gubernandae Dioecesis atque in regendo et curando Seminario ipsi inservient, nec non servitio divino publico ad Ecclesiam Sancti Galli providebunt. Ad praescriptum canonicarum sanctionum Episcopus uni ex Capitularibus poenitentiarii, alteri vero theologi officia mandabit, qui statutis diebus doctrinam catholicam docebit.

Art. 6. Pro prima electione Episcopi supremus Senatus catholicus Pagi Sangallensis Sedi Apostolicae exhibebit notulam quinque clericorum eligibilium, ex quibus S. Pater Episcopum nominabit, cui insimul institutionem canonicam conferet.

Art. 7. Quovis modo eveniente vacatione sedis episcopalis Sangallensis jus electionis novi Episcopi penes Capitulum cathedrale residet, atque a Canonicis tam residentibus quam foraneis seu titularibus infra spatium trium mensium a die obitus Episcopi computandum exequendum est.

Electus supremo Consilio catholico persona non ingrata esse debet.

Art. 8. Si electio canonice peracta agnoscetur, et juxta formam pro Episcopatibus in Helvetia usitatam de ipsius Electi qualitatibus ad sacrorum canonum normam rite constiterit, Summus Pontifex Electo canonicam institutionem praestabit.

Art. 9. Ut quis ad dignitatem Episcopi eligibilis sit, praeter qualitates canonicas requiritur, ut eligendus sit Presbyter e Clero dioecetano, et in Dioecesi ipsa Sangallensi per plures annos curae animarum, tradendis litteris, vel administrandae Dioecesi merito et distinctione incubuerit.

Art. 10. Episcopus Sangallensis coram Deputatis Gubernii Pagi emittet fidelitatis juramentum juxta formulam a Sancta Sede approbandam.

Art. 11. Capitulum cathedrale prima vice hunc in modum constituetur: postquam Episcopus Sanctae Sedis auctoritate fuerit institutus, a Summo Pontifice ipsi committetur, ut ipsius nomine Decanum et Canonicos tam residentes quam foraneos et Vicarios Capituli talibus ex presbyteris seligat, qui Senatui administrativo catholico non sint ingrati, iisque canonicam conferat institutionem.

Art. 12. In futuris autem vacationibus pro Decanatu Episcopus ex ordine Canonicorum tam residentium quam foraneorum tres Candidatos Senatui administrativo catholico exhibebit, e quibus Senatus Decanum nominabit; nominatus vero antequam suae praebendae possessionem capiat redditusque percipiat, institutionem canonicam a Sede Apostolica obtinere debet. Ex reliquis quatuor Canonicatibus residentialibus ad duos quidem nominabit Senatus administrationis catholicus, et nominati institutionem canonicam a Summo Pontifice ut supra impetrabunt: ad duos alios nominabit Episcopus, qui et nominatis canonicam conferet institutionem.

Art. 13. Pro quovis Canonicatu foraneo, quotiescunque vacaverint, Senatui administrativo catholico intra sex hebdomadas a die vacationis computandas exhibenda est notula quinque Candidatorum, qui requisitis qualitatibus instructi sint; Senatus sibi minus placituros intra sex alias hebdomadas, si vult excludet, relictis tamen in quolibet casu tribus ad liberam nominantis optionem, ex quibus dein intra mensis spatium Canonicus eligitur hac ratione:

Pro Canonicatibus, qui in mensibus Januarii, Martii, Maji, Julii, Septembris et Novembris vacaverint, Episcopus Senatui administrativo catholico supra memoratam

proponet nominationis notulam, et Capitulum Canonicorum tum residentium tum forancorum e Candidatis in notula remanentibus canonicum nominabit, qui postea canonicam institutionem ab Apostolica Sede obtinere, ut supra debet;

Pro Canonicatibus, qui reliquis anni mensibus vacaverint, Capitulum Senatui administrativo catholico nominationis notulam proponet, et e candidatis, qui in notula remanserint, Episcopus Canonicum eliget, cui et canonicam institutionem conferet.

Tres Vicarii semper ab Episcopo libere ex Clericis Pagi eligibilibus nominantur et ab ipso canonicè instituuntur.

Art. 14. Eligibiles pro Canonicatu sunt Presbyteri saeculares, qui habeant requisita canonica in genere, et in specie sint Dioecesiani Sangallenses ibidemque diutius in cura animarum cum zelo et prudentia versati, aut aliis functionibus ecclesiasticis addicti, vel Curiae episcopalis aut Seminarii directione aut munere docendi bene meriti et insigniter commendati ac praefulgentes.

Art. 15. Seminarium pro informandis Clericis Dioecesis Sangallensis jam institutum juxta praescripta Ecclesiae sub directione Episcopi erit. Senatus administrativus catholicus eidem pro sua conditione hucusque servata congruentem habitationem et fundos assignabit.

Art. 16. Episcopo proventus annui 4000 florenorum rhenanorum, Decano capituli redditus annui 1200 fl., cuivis vero reliquorum quatuor Canonicorum florenorum 1000, et cuilibet trium Vicariorum florenorum 400 constituentur et assignabuntur.

Canonici foranei, quotiescunque in Capitulum convocantur, congruam gratificationem accipient.

Redditus Canonici, cui paroecliae administratio delata fuerit, usque ad summam florenorum 1200 augebuntur.

Art. 17. Praeter memoratos annuos redditus Episcopo, Decano, et cuilibet reliquorum Canonicorum residentialium¹ liberae et eorum dignitati congruae habitationes simulque Vicariis necessaria habitandi loca assignabuntur et sumptibus Senatus administrativi catholici sartis tectis conservabuntur.

Pariter Episcopo et Curiae episcopali pro regimine Dioecesis, Cancellariae et Archivo, nec non Seminario clericali loca requisita gratis conferentur.

Art. 18. De regulis sportularum taxarumque quocunque titulo exquirendarum sive pro impensis Cancellariae sive pro sessionibus Senatus episcopalis in causis ecclesiasticis praecipue matrimonialibus Episcopus cum Senatu administrativo² catholico conveniet.

Art. 19. De redditibus mensae episcopalis, qui sede vacante accrescant, dimidium Episcopo successori competet, ut habeat unde primis domus suae necessitatibus possit providere; reliqua pars vero Vicario Capituli adveniet.

Art. 20. Pro constituenda et tuenda dotatione tum sustentationis Ecclesiae cathedralis et Seminarii clericalis, tum proventuum et reddituum Episcopi et Capituli hae summae capitales et respondentes fundi titulis rite et secure hypothecatis constituentur et assignabuntur, et tamquam dotatio illorum inalienabilis declarabuntur:

¹ Acta: « residentium ».

² Acti um.

a) Ecclesiae cathedrali et praebendis eidem adjunctis flor. 200,000, quorum tituli extant jam et asservabuntur in Archivo ejusdem Ecclesiae;

b) Seminario clericali et huic adjunctae praebendae flor. 75,000, quorum tituli in eodem Cathedralis¹ Archivo extant et asservabuntur;

c) Mensae episcopali et reliquis praebendis Capituli flor. 160,000, quorum tituli simul ac Bulla Pontificia de reorganisatione Episcopatus Sangallensis fuerit promulgata, deponentur et asservandi exinde erunt in Archivo episcopali.

Art. 21. Insuper expressis terminis declaratur et sancitur, Ecclesiae cathedrali et Seminario clericali proprias dotationes ipsis collocatas in praesenti capitalium summa omni casu tute esse conservandas.

Art. 22. In favorem administrandae Dioecesis omnia et singula documenta qualiacunque sint, quae ad Dioecesim Sangallensem spectant, e scriniis veterum Archivorum episcopaliū extracta in novam Cancellariam episcopalem tradenda sunt.

Art. 23. Quodsi in posterum alii quoque Pagi cum incolis suis catholicis ad Dioecesim Sangallensem accedere velint, dispositiones ad hoc requisitae ulteriori conventioni reservantur.

Quae conventio in duplo scripta a delegatis utriusque partis contrahentium subscripta et obsignata, postquam ratificationes in exordio reservatae fuerint enuntiatae, executioni mandanda est.

Actum Lucernae die septima Novembris anno millesimo octingentesimo quadregesimo quinto (7. Novembris 1845).

Nomine Summi Pontificis Gregorii Papae XVI:

(L. S.)

† Hieronymus de Andrea,
Archiepiscopus Melitenus et Nuntius Apostolicus.

Nomine supremi Consilii Catholici atque ex mandato Senatus Administrationis Catholicorum Pagi Sangallensis.

eiusdem Senatus Delegati:

(L. S.)

Jacobus Baumgartner, Consiliarius Gubernii.
Leonardus Gmür, Consiliarius Administrationis Catholicae.

Da F. GSCHWEND, *Die Errichtung des Bistums St. Gallen*, Stans 1909, 468-475, collazionata la copia in *Acta Congreg. Consist.* 1845-1846 entro il n.º 11 del 1846 (**Archivio della S. Congregazione Concistoriale**). Presso lo GSCHWEND 480-496 la Bolla di Pio IX *Instabilis rerum* dell'8 aprile 1847, con cui, senza ricordare nominalmente il concordato del 1845, si consacrano gli articoli ivi fissati.

¹ GSCHWEND « Cathedralis ».